UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria IV. post Dom. IV. Quadragesimæ. 25. Hebræi cœcum Christum glorificantem audire non poterant, quia invidus plus torquetur à proximi bono, quàm à proprio malo.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

micam negando, ideo Lazarum quoque ſibi crudelem futurum fuiſſe judicavit, ne hanc quidem aquæ ſtillam ei indulgendo: *Cur Abraham orat, & non Lazarum?* reſpondet idemmet Epulo: *Si ego in tanta felicitate poſitus contempſi illum in ſua anguſtia derelictum, multò magis ipſe contemptus, vindicabit injuriam, & non veniet ad me.* Omnium etenim malorum proprietas eſt, quod alienas actiones menſura malitiæ propriæ metiri ſoleant, alios iiſdem defectibus coinquinatos eſſe judicando, quibus ipſimet ſe obnoxios eſſe ſciunt; unde ſi vultis ſcire in quodnam aliquis peccatum pronior exiſtat, obſervate quod de aliorum defectibus ſibi format judicium.

22. Verum enimverò quis eſt qui ignoret, quod *oppoſitorum eſt eadem diſciplina?* atque ideo quotquot boni ſunt & virtuoſi, nihil mali de alio cogitant; imò tametſi tale quid de alio audiant, vel videant, id tamen verum eſſe non credunt, & benignius interpretantur, nullum facientes judicium *de malo alicujus.* Porrò tres Reges Orientis ſtella duce Hieroſolymam uſque perveniunt, ibidem locum in quo recenter natus Rex Judæorum inveniri valeat, inquirunt. Etenim ab Herode regio ſplendore, prouti illorum merebatur auguſta conditio fuere excepti, qui cum cur regnis ſuis relictis in eas ſe regiones contuliſſent interrogati, reſponderunt, ſe alio ſine convenisſe quam ut debita veneratione novum natum Judæorum regem adorarent: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Verum, ô ſancti Reges, quid dicitis? Convenitne in regno alieno mentionem facere alterius Regis in eodem dominandi? Rex modernus etiamnum vivit, & tamen in ejus conſpectu dicere audetis de applauſibus quos alteri Regi inſtituere paratis? An ignoratis quod in Judæa alius Rex non agnoſcatur præterquam Herodes? utique non cognoviſtis eum, quod ſi enim noſſetis quam ſit dirus & crudelis tyrannus, cautius utique loqueremini, nimiam vobis noxam conciliatis, directè namque regiam perſonam offenditis, maximè verba adeò offenſiva in ipſiſſimam ejus faciem ingerendo. Verumenimverò nolite mirari, tres namque hi Orientales monarchæ Principes boni erant & pii, natoque novo Regi optimè affecti, atque ideo Herodem quem minimè noverant, talem quoque eſſe exiſtimabant: *Ipſi quidem proni fuiſſent ad ſceptra, coronas & regna ſua novello recens nato Regi renuntianda eandemque de Herode opinionem conceperant. Et quia bona erant mente præditi, talem quoque Herodis mentem eſſe credebant.*

*Balth. Arias ſer. 2. de Epiphan fol. 159. col. 2.*

23. Quid ulterius dicam? Chriſtus manifeſtum ſatis ſignum Apoſtolis ediderat, unde Traditorem ſuum agnoſcere potuiſſent, dum ait: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet,* Matth. 26. Vident etenim hunc Judam eſſe, nec tamen ullus eum alloquitur, ut à ſuo eum errore reſipiſcere faciat, atque à tam enormi ſcelere eum divertat. Quid igitur facitis, ô Diſcipuli? In veſtra poteſtate poſitum eſt ingentis hujus mali remedium & negligitis? Cur debitum Judæ charitatis officium non impenditis? Num fortè Judam traditorem eſſe dubitatis? Difficulter id credere poſſum, cum idipſum Magiſter veſter per ſigna nequaquam obſcura inſinuatit: Chryſoſtomi os aureum, auream profectò ad hoc reſponſionem ſubnectit, dicens: *Cùm enim longe à tali ſcelere abeſſent, neque de aliis ſuſpicabantur.* Quilibet enim ſuomet manum pectori admovebat, & quales ipſi intus erant talem quoque Judam eſſe judicabant. Habetote igitur, ô Auditores veritatem hanc veluti Maximam infallibilem: *Eadem agis quæ judicas.* Et iterum: *Nolite judicare ſecundùm faciem.*

*Chryſoſt. hom. 71. in Ioan.*

---

# SERMO XXV.
## IN FERIAM QVARTAM DOMINICÆ IV. QUADRAGESIMÆ.

*Præteriens IESVS vidit hominem cæcum à Nativitate.* Joan. cap. 9.

1. VAriæ quidem ſunt, quæ in corde humano reſident, paſſiones, veruntamen incredibile eſt, quantum inter cæteras impia illa Circe crudelis Megæra, & venenoſus Ceraſtes invidia

prævaleat. Quæ proinde variis probroſis nominibus à diverſis indigitatur; ſiquidem à nonnullis vocatur fætidum ſepulchrum, ab aliis clavus acutiſſimus; à Plutarcho ulcus animæ; à Cælio Peſtis mundi; a Socrate ſerra animæ; à Salomone putredo oſſium; à ſancto Baſilio ærugo ſpiritus; à Chryſoſtomo tinea cordis; à Gregorio Nazianzeno defectus injuſtiſſimus, & juſte injuſtus; Injuſtiſſimus quidem quia injuſtè adverſatur bono, & virtuti proximi, *quia eſt contra bona*; juſtiſſimus autem eſt pariter, quia juſtè eos torquet qui eam fovent: *uſtiſſimum, quia magis auctorem ſuum torquet.* Ærugo eſt quæ ſenſim ac paulatim invidi viſcera conſumit: *Sicut ærugo ferrum, ita invidia animum hominis, ubi inſita eſt, conſumit.* Putredo eſt, quæ quod nullum ei adhiberi poſſit remedium præſervativum, membra macerat, & ad uſque viſcerum interiora penetrat: *Putredo oſſium eſt invidia.* Serra eſt, quæ per copioſum dentium caninæ cujuſdam rabiei lima exacutorum exercitum, invidi animam intolerabili quadam pœna dividit & lacerat: *Serra quæ ſemper abſcindit animam.* Vivus dolor eſt, qui ſine intermiſſione invidum de monumento in momentum, ad terminos mortis millies perducit, efficiendo ut millenis mortibus qualibet hora conficiatur abſque ullo vitæ fine, vivat autem ſine ulla ſpe fatales perpetuæ cujuſdam mortis manus evadendi: *Vivus dolor.* Vulnus eſt incurabile, cui ſi fiſtulæ & Gangrænæ comparentur, arcus vel muſcarum puncturæ eſſe videntur: *Vulnus incurabile.* Peſtis eſt vel venenoſum quoddam toxicum à quo bonitas animæ non minus deſtruitur, quàm ab ardore flores, à grandine frugum ſpicæ vel ariſtæ, aut arbores vel herbæ a vermibus: *Pernicioſa mali vis, & radius peſtifer ab oculis profluens.* Ulcus eſt animæ cui curando omnia ab Æſculapio, Hippocrate, & Galeno adinventa antidota minimè ſufficiunt: *Vlcus animæ.* Tinea eſt quæ radicalem humanæ ſtirpis humorem corrodens, vitam ipſam brevi tempore conſumit. *Tinea cordis.* Clavus eſt qui iteratis mallei alienæ felicitatis ictibus repercuſſus profundius penetrat, quàm clavus Jaelis in tempora Siſaræ penetrarit: *Clavus animæ.* Sepulchrum eſt fœtidum, in quo non jam cadavera, ſed mortua virtuoſorum hominum fama & facta heroica rediguntur in nihilum: *Sepulchrum patens.* O maledictum germen è ſemine ab infernali agricola in agrum cordis noſtri injecto prognatum. Verè quiſquis in voluntatis ſuæ domo invidiæ locum parat, vivum quendam infernum ſecum portat: *Inferni damnum abſque ullo commodo.* Tu, ô crudeliſſima inferni furia funebres ærumnarum noſtratum natales adducis: tu progenitoribus noſtris miſerum è terreſtri Paradiſo procraſti exilium, noſque à vita ſequeſtrans condemnaſti ad mortem: *Invidia Diaboli mors intravit in mundum.* Sap. 2. Tu in jucundiſſimo humanæ ætatis Aprili Abel juſto, pulcherrimum amputaſti aut præſcidiſti juventutis florem: *Parvulum occidit invidia* Proverb. 14. Tu acerbæ vindictæ flammam odii ſulphure in hiſpidi Eſau pectore crudeliter accendiſti: *Occidam fratrem meum.* Tuarum perſuaſionum incantationes Jacobi Patriarchæ filios in extremam innocentis Joſephi fratris ſui perniciem armarunt: *Fera, id eſt, invidia peſſima devoravit filium meum.* Gen. 37. Tu in peſſimorum conſiliorum tuorum ſtamine perſecutionum telam per manum Saulis feratum domitori, terrori gigantum, fortiumque exercituum victori texuiſti: *Non rectis oculis aſpiciebat David à die illa & deinceps.* 1. Reg. 18. Ac proinde opportunè te Eruditus ille dixit: *Nulla tam modeſta felicitas, quæ invidiæ dentes vitare poſſit.* Quiſquis enim nobilis, dives, vel virtuoſus fuerit, eo ipſo ſcopus fiet in quem invidi iniquitatum ſuarum ſagittas evibrent. Unde vir quidam excellens à neſcio quo, de modo quo quis ab hiſce malignantibus hominibus ſecurum ſeſe reddere poſſit, interrogatus, reſpondit: *Si nihil ex magnis rebus habueris, aut nihil feliciter geſſeris: Nam ſola miſeria caret invidia,* fortunæ autem eam infallibiliter poſt ſe trahunt; unde optimè Seneca dicebat: *Facilius eſt pauperi contemptum effugere, quam diviti invidiam.* Atque ideo Pittacus Philoſophus, ut ſcribit Stobæus impoſſibile eſſe cenſuit, quod quis conſtitutus ſit in ſublimi proſperitatis, & ab invidiæ fulmine ſit exemptus: *Tamdiu mihi videbor felix, quamdiu me mordebit invidia.* Quinimò nec ipſimet Dei Filio pepercit, prouti ex Evangelio hodierno occaſione cæci illuminati expreſsè videtur. Nam ut invidi Chriſti gloriam obtenebrarent, illum calumniabantur nunc tanquam diei feſtivi prævaricatorem: *Sabbatum non cuſtodit*; nunc hominem hunc cæcum fuiſſe minimè credunt. *Non crediderunt, quia cæcus eſſet*, nunc eum velut graviſſimis peccatis obnoxium, & miracula arte magica operantem inſimulant: *Homo peccator non poteſt hæc ſigna facere.* Mox Cœlicolnium pro recepta gratia eum glorificantem eximio

lio

lio perpetuo à Synagoga abarcent : *Ejecerunt eum de Synagoga tanquam excommunicatum & reprobum*, inquit Ludolphus Carthuſianus, idque non alio fine, quam ut prædominantem ſibi invidiam adverſus eum evomere poſſent : *Putabant miraculum annihilare*, inquit Chryſoſtomus. O invidia charitatis infeſtiſſima inimica! ô peſſimi fortunæ illius inimici, quæ felicitatis flores in alterius gremio feliciter ſpargit; Cujus malo vos ſubjicere non formidatis, dummodo alterius bonum impedire poſſitis. Non eſt vobis odioſum ab infortuniis eſſe oppreſſum, dummodo proximum veſtrum ad fortunæ apicem non videatis ſublimatum.

2. Verum enimverò ut abominabile hoc vitium, tantò vehementius deteſtemini (ad quod in præſenti diſcurſu vos excitare intendo) audite quas in ſe habet peſſimas qualitates; & quidnam Sancti Patres, aliique Scriptores tam ſacri quàm profani illud ipſum deteſtantes poſt ſe ſcriptum reliquerint; Inter quos Onexander ita loquitur: *Invidentis eſt operari, ne cui bene quidpiam eveniat.* Sanctus Pater noſter Auguſtinus tom. 3. ait: *Invidia eſt odium alienæ felicitatis, amando enim quisque excellentiam ſuam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur: vel inferioribus ne ſibi coæquentur; vel ſuperioribus quod eis non coæquentur.* Quod ſi conditio tua adeo vilis fuerit, ut de terra ſe nec quicquam erigat, illam lapideam vel plumbeam eſſe vel fieri exoptaret : Quod ſi autem conditio ſupra mediocritatem molem ſuam extenderit, ingentem quendam miſeriarum montem ſuper te ſternere aſpirabit, vel ut magis te deprimat, vel ut totaliter oppreſſus caput tuum ſub ingenti calamitatum pondere erigere non valeas. Quod ſi fortuna te in altum variabilis rotæ ſuæ verticem extulerit, ipſe cælum indeſinenter rogat, ut eam ſuſque deque evertat, & deorſum præcipitet. Porro Chymici nullam cerebro ſuo requiem indulgent, ſed omnibus artis & ſtudii nervis in id contendunt, ut metalla viliora in pretioſa transformare valeant : Hi autem Alchymiſtæ Diaboli, argentum in fæces, aurum in lutum, virtutes in vitium, honorem in opprobrium, gloriam in vituperium, ſanctitatem in malitiam transformare norunt : *Iſti tales omnes prorſus virtutum ſpecies decolorare contrariis, & à malitia ſumptis appellationibus geſtiunt*, ſcribit S. Zeno Epiſcopus Veronenſis. Quod ſi in eo qui conditioni tuæ convenit, decore perſtiteris, te elatum atque ſuperbum baptizabunt : Si Eleemoſynas inter pauperes diſtribueris, aut in Teſtamento tuo pia legata locis piis aſſignaveris, hæc omnia neceſſarias fuiſſe reſtitutiones interpretabuntur : Si libenter inimicis tuis ignoſcas, ignavum te eſſe reputabunt : ſi patiens & longanimis extiteris, te velut virum ſtramineum & ligneum in proverbium deducent : Si de malefactis aliorum locutus fueris, te culpabunt velut faſtidioſum actionum alienarum obſervatorem, vocaberiſque ab iis Criticus, vel Fiſcalis publicus: Si ſobriè vixeris, avarum te eſſe proclamabunt: Si oratoria multum frequentaveris, te hypocritam appellabunt, qui ſuo molendino de aqua ſufficienti proſpiciat, aut vulpem eſſe dicent Lauretum verſus peregrinantem. Si Eccleſias frequenter adeas, id te ob debitorum te gravantium multitudinem facere dicent, quem proinde creditores potius, quam ſancti devotum fieri faciant : *Virtutum ſpecies geſtiunt decolorare contrariis.*

3. In corde invidi nullum lætitia locum habet, niſi ſuam ab afflictorum mœſtitia trahat originem: vultus ejus nunquam ſerenatur, niſi quando faciem alienam per turbulentiarum obſcuritatem obnubilatam eſſe conſpicit : Apollinem ſe eſſe exiſtimat, dum alios ſub miſeria famis, aut in collaria forenſi, vel in triremibus remigantes eſſe conſpicit : *Semper in luctu eſt invidus inter proſpera cæterorum, exultat vero in miſeriis proximorum*, inquit Beatus noſter Simon Caſſianus, *ſuum exiſtimat damnum commodum alienum, ſuam diminutionem alterius augmentum, perditionem propriam alterius lucrum; in ſuam convertit injuriam alterius gloriam, ſuam infirmitatem alterius ſanitatem*; ac proinde Seneca Invidiam definiens dixit eam *eſſe dolorem animi ex alienis commodis.* Enimverò invidi qualitates ab ingenioſo illo Poëta hiſce fuerunt verſibus ad vivum repræſentatæ, dum ita canit:

*B. Simon de Caſſia ſerm. de Invidia.*

*Senec. in proverb.*

*Ob tua quam graviter plecteris crimina tandem*
*Invide, cum bona te nunc aliena premant.*
*O miſerum cujus dolor eſt aliena voluptas*
*Quoque alius gaudet ringeris ipſe bono.*
*Vulneribus quamnam ſævis afferre medelam*
*Quis valeat, cum tu vulnera tecta geras?*
*Sit licet injuſtus livor, nil juſtius illo eſt*
*Namque premens alios, opprimit ante parem.*

*Iac. Sill. anthol l. 2. num 71.*

Etquidem (tametſi fortuna me compaſſione potius quam invidia dignum reddiderit) nihilominus ex iis quæ tum in libris legi, tum per experientiam in aliis comprobavi, hac de

te multa dicere poſſum. Quod ſi etenim obtutum tuum obiter in vultum alicujus hominis invidi firmaveris, illum furiæ cujuſdam ſpeciem referre dices, quæ rabida excandeſcit, ſibi eam non ineſſe facultatem ut te in lapidem transformare poſſit, prouti de Meduſa fabulantur Poëtæ. Adhæc cum ſit infeſtiſſimus lætitiæ inimicus, eam à ſuo corde omnino proſcribit, & exulare jubet, in iis duntaxat caſibus redeundi facultatem ei concedens, quando renovari videbit funeſtos eventus illos qui Caſſio, Polycrati, Xerxi, vel Arthabano accidiſſe noſcuntur. Supercilium ejus nunquam ſerenitatem aliquam induit, niſi quando charitatem ſub pedibus Herodis alicujus conculcatam & oppreſſam eſſe conſpicit, aut quando videt Neronum crudelitatem ſuper innocentis alicujus ſanguine inſolenter triumphantem. Si quis in vultus ejus ſcena mœſtitiæ pallores in vivaces lætitiæ colores transformatos videre cuperet, ad id obtinendum hoc ſolum ſufficeret, ſi videlicet lapſum ei referas Sejani, vel infelicitates & ærumnas Beliſarii: Econtra verò ſi ei Gadareum, Tamburlanum, Romulorum fortunas, vel Aſſueri divitias, vel Alexandri excellentias, aut Cæſaris victorias, vel Cyri Monarchias retuleris, gratias te ei obſequium facturum eſſe diceret, ſi pro ſui ſuſpendio laqueum ei porrigeres. Conjurationibus utique Caſſii & Bruti ſubſcripturus eſſet, dummodo Cæſari ab iis ſtructæ & machinatæ inſidiæ bene ſuccederent: ubicunque invenit Germanicos, ibi quoque ne Piſones deſint ſollicitè curat. In ſumma libenter propria ſua bona & proſperitates defleret, dummodo planctus hic occaſionem ſibi dare poſſet ridendi de malo alieno. Plancina ſe minimè felicem eſſe poſſe æſtimabat, quamdiu Agrippinæ fortunam continuantem videbat. Dionyſius, ut quendam aulicorum ſuorum graviter torqueret, omnibus totius aulæ ſuæ miniſtris & ſervis per munerum largitionem benefacere decrevit; *Vt ita multo tempore miſer invidia affligeretur.* Munus quod à Paride Veneris pulchritudini delatum fuit, talem generavit invidiam, quam Græcia & Aſia deinceps magno ſuo damno luere debuit, Themiſtocles valde lamentari ſolebat quod in juventute ſua nullam unquam edidiſſet actionem generoſam atque eximiam, id quod vel inde verum eſſe conjiciebat, quod in invidorum manus nunquam incidiſſet: *Cum adoleſcens foret, nihil ſplendidum à ſe fieri, inde conjectare ſolitum, quod invidos adhuc nactus non foret.* Plato eorum ſe inimicum eſſe

*Philippus Diez in loc. com.*

*Caſ. Rodig. l.20. lect. antiq. cap.30.*

*Plut. in l. de odio & invid.*

profitebatur, qui in ejus præſentia virtuoſos laudare præſumebant; unde in ſuis tractatibus nulla unquam reperietur facta fuiſſe mentio Xenophontis, tametſi is Philoſophus tantus fuerit, ut hac ratione memoria ejus ſub oblivionis denſis tenebris ſepulta remaneret. Commentarios quoque Democriti igne conflagrare tentavit, & reapſe in ignem eos conjeciſſet, niſi ab Amida & Clinia Pythagoricis impeditus fuiſſet, impoſſibile eſſe ei dicentibus, quod è poſterorum mentibus ejus deleri poſſet memoria, eo quod ſcripta ejus à multis ea per magna facientibus maximi fierent: *Plato invidiæ morbo laboravit, aliorumque laudes iniquo animo accepit. Inter eum & Xenophontem tacitæ cujuſdam æmulationis livor extitit, cum nullibi Plato de ipſo Xenophonte tanto viro meminerit: Democriti Commentaria collegit, eaque cremari voluit,* ut refert Petrus Crinitus de honeſta diſcipl. lib. 3. cap. 1. Ac proinde dignus fuit, cui ſimiles ab Ariſtotele diſcipulo ſuo rependerentur vices. Florianus Imperator ingentes paſſus eſt invidiæ ſtimulos, eo quod Probus à majori nobilitatis parte in caput illius fuiſſet electus, ideoque totam adverſus ſemetipſum rabiem convertit, dum venas ſibi conſcindendo mortem ſibi ipſi adſcivit. Alexander gloriæ Philippi patris ſui adeo vehementer invidit, ut Parmenio & filiis illius necem inferri juſſerit, eo quod generoſa Philippi facinora perſæpe deprædicaſſent: *Cum audiſſet ex quodam à Parmenio laudes prædicari Philippi, tanta fuit invidia percitus, ut ſtatim non ſolum Parmenium ſed etiam ejus liberos juberet interfici.* Belliſarius ille, qui Wandalos devicit, detriumphavit Perſas, Italiam, ipſamque urbem Romanam roboreſſo liberavit, totique Juſtiniani Imperatoris Imperio omnem prorſus ſecuritatem attulit, vir tamquam ille inſignis, de quo Petrus Crinitus de hon. diſc. l. 9. c. 6. ait: *Vir quidem geſtu & animo maximus,* poſt tot victorias, & glorioſos triumphos hanc ſibi mercedem comparavit, quod eruti fuerint oculi: *Neque aliam ob cauſam, quam propter livoris improbitatem, qui velut ignis alta ſemper & ardua petit.* Sic quoque dum in Ante-camera ſive Proceſtrio Frederici Regis à nonnullis Medicis quæſtio hæc agitaretur, quidnam ad conſulendum viſui utilius eſſet; & ab aliquibus diceretur, nihil eſſe viſui conſervando utilius fœniculi ſemine, alii vero reſponderent, viſui nihil æque ac perſpicilia conducere, alii denique alias opiniones in medium adducerent, tandem Jacobus Sanazzarus vir rariſſimi ingenii ſtatim

quoque

quoque opinionem enuntiavit dicendo, nullum reperiri poſſe oculis juvandis remedium, quam invidiam, ſiquidem hæc efficiat, ut cuncta ſemper eſſe videantur majora quam revera ſint. Unde Ovidius dixit:

*Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris:*
*Vicinumque pecus grandius uber habet.*

4. Hi tales naturæ ordinem pervertunt, ſiquidem bonum illos adverſante natura cruciat, malum vero oblectat & recreat: *In malum proprium bona aliena convertit, illuſtrium proſperitate torquetur, aliorum gloriam facit ſuam pœnam*, inquit ſanctus Cyprianus de zelo & livo. t. 2. E contra vero ſi fortuna alios averſetur & calcibus impetat, id eximii favoris & gaudii loco recipiunt: *Invidis aliena proſperitas adverſa, aliena adverſitas proſpera judicatur, hi in aliena gratulatione triſtantur, in aliena triſtitia gratulantur: ipſi ſuas in aliena paupertate divitias, ſuam paupertatem in alienis divitiis metiuntur*, ſcribit doctiſſimus Alanus de planctu nat. Atque ideo à Joanne à ſancto Geminiano certis quibuſdam ſerpentibus comparantur, qui gignuntur in Indiis, quidum arbores aromaticæ florent, fugam ineunt, vel eaſdem dentibus arrodunt, ut exarescant, ne cogantur odoris illarum percipere fragrantiam. *Sic invidi proſperitatem proximorum ſuſtinere non poſſunt.* A Beda fonti cuidam aſſimilatur, qui in Oriente cernitur, cujus aquæ adeo ſunt corroſivæ, ut avium pennas, carnis pellem; lignorum ſive arborum cortices conſumant: *Pari modo venenoſa invidia ſuperioribus detrahit, pares arrodit, famoſos mordet, virtuoſis invidet, glorioſos lacerat, & omnes contemnit.* Ab aliis noctuæ ſimilis eſſe dicitur, cui conferunt tenebræ: lux vero inſtar mortis eidem in horrore & abominatione eſt: *Ita invidus malis gaudet, & de aliena felicitate triſtatur.*

Joan à S. Gemi. l. 4. cap. 71. Beda de imag. mund. L. 1. Tom. de Trip. 2. ſerm. Dom. Quin.

5. Verum enimvero, Auditores, *fodiamus parietem*, exiſtimo etenim quod ad punctum principale perveniendo *invenimus abominationes majores*. Quærit etenim ſanctus Thomas Doctor Angelicus, an claritas corporum glorioſorum ab oculis non glorioſis videri poſſit. Et primo quidem quorundam opinionem adducit *negativè* reſpondentium, niſi ex ſpeciali Dei virtute, & miraculosè fieret: *Quidam dixerunt, quod claritas corporis glorioſi non poterit videri ab oculo non glorioſo, niſi fortè per miraculum.* Cujus hæc poſſet eſſe ratio, quia oculus non glorificatus, non eſt proportionatus *ad videndam claritatem gloriæ, cum ſit alterius generis, quam claritas naturæ*; Præterea, quod ſi oculus in ſolis claritatem ſuum non poſſit obtutum figere, quomodo illum in corporum glorioſorum claritatem figere poterit, quæ utique incomparabiliter major futura erit? Hac tamen opinione non obſtante Doctor Angelicus alteram partem defendit, hac ſubnixus ratione: Movere etenim oculum ad hoc ut videat, proprium eſt claritatis & lucis; potentia autem viſiva apta nata eſt ad lucem recipiendam, ad eum modum, quo intellectus verum cognoſcit tanquam objectum proprium, & voluntas fertur in bonum: *Lux ſecundùm id quod eſt nata eſt movere viſum, & viſus ſecundum id quod eſt natus eſt percipere lumen.* Unde cùm nullum inveniatur impedimentum ſive in potentia, ſive in medio, ſive in objecto, non videtur ſubeſſe aliqua ratio, cur non ſequatur actus videndi: *Ideo dicendum eſt quod claritas corporis glorioſi naturaliter ab oculo non glorioſo videri poteſt.* Concludit Angelicus: Veruntamen valde admiror, & perſuadere mihi haud quaquam poſſum quod DEUS inimicos ſuos, qui ſunt damnati in Inferno (ad minus in die Judicii) hanc quoque habere conſolationem, ac viſione illa, quæ illos in tormentis ſuis refrigerare & ſublevare ſufficiens eſſet, perfrui velit. Num fortè ideo id decrevit ut infinita quoque ejus clementia inter tantos Juſtitiæ rigores elucere videatur? Minimè, imò potius omnino contrarium intendit, ſcilicet, ut magis inde torquerentur; illa namque beatorum claritas, exceſſivè majus tormentum illis adſciſſet, quam ſit illud quod patiuntur à flammis, eo quod Beatis gloriam ſuam invideant, qua velut amici Dei in cœlis perfruuntur: *Impii videntes gloriam juſtorum ex hoc torquebuntur in judicio*; concludit S. Thomas.

D. Thom. in addit. ad 3. p. q. 85. art. 2.

*Ibid. ſed contra.*

6. Porro idemmet Sanctus Doctor aliam quandam difficultatem movet, nimirum: An damnati videant, vel ſaltem in die Judicii viſuri ſint, eam qua cœlites & Angeli gaudent & perfruuntur, gloriam & benedictionem? Et quidem prima fronte videri nonnemini poſſet, eum negativè reſponſurum, cum *magnum Chaos inter eos firmatum ſit.* Deinde cur id quod chariſſimis DEI ſervis in hac vita non conceditur, impiis in altera vita concedetur? Sic enim videretur juſtitiam diſtributivam debito ſuo carituram eſſe. Reſpondet S. Thomas gloriam beatorum duobus modis conſiderari poſſe, primo *ita ut* *cognoſca-*

*D. Thom. ubi ſup.*

*cognoſcatur qualis ſit :* Secundo ita ut *cognoſcamus Beatos eſſe in gloria quadam inæſtimabili* Damnati eam non in primo ſenſu vident, ſed in ſecundo, id eſt, cognoſcunt quod ſancti gaudeant, & fruantur Deo vero & ſummo bono. Verum dicees, quonam fine illud Divina Majeſtas velit? quænam eſt neceſſitas, ut hæc eis fiat revelatio? relinquantur in ſuis miſeriis, qui enim illam non vult poſſidere, eandem quoque videre non meretur. Audite Sapientis reſolutionem, vult DEUS ut damnati videant qualiter beati gloria cæleſti fruantur, ad hoc ut contriſtentur, & dirè conturbentur, addaturque afflicto major afflictio: *Videntes turbabuntur timore horribili;* Sap. 5. contriſtabunturne & conturbabuntur inde? Obſtupeſco profectò dum idipſum audio, ſemper enim audivi quod objecta lætitiæ & felicitatis, quale eſt gloria, conſolentur & lætitiam adferant, ſolaque horribilia, qualia ſunt monſtra, voragines, Dæmones, & Inferni conturbent & terrefaciant *timore horribili.* Enimverò vult Deus ut damnati ſciant & videant ſpirituum glorioſorum felicitatem, ut hæc viſio illis non ad gaudium cedat ſed ad tormentum : *Videntes turbabuntur timore horribili ;* Quis autem hanc illis pœnam & tormentum cauſabit? Alieni boni invidentia. *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt ;* Unde Sanctus Pater noſter Auguſtinus ait: *Niſi eſſet claritas ſanctorum, nunquam ſurgeret invidia iniquorum ;* Demonſtrando quod hi maledicti invidi non tam conturbandi ſint videndo & probando Infernum ſibi apertum, quam videndo Paradyſum apertum eſſe aliis: imò plus cruciatus paſſuri ſint à gloria, quam à flammis : Eſſe inter carbones videtur illis eſſe inter roſas, ſaltem comparativè : videre autem quod alii æterna beatitudine fruantur videtur illis idem eſſe, ac ſi detinerentur inter incendia:
D. Thom. *Damnati* (ita concludit Angelicus] *vident bonos in gloria, dolentes propter invidiam de felicitate eorum.*

7. Negari proinde haud quaquam poteſt, quin bonum alterius lapis quidam ſit in quo invidus malignitatis ſuæ ferrum exacuat. Sanctus Matthæus dicit, quod quando in noviſſimo judicii die à ſupremo judice inſtituenda erit ſequeſtratio illa vel diviſio bonorum à malis, ut illis dentur gloriæ præmia, his verò infligantur Inferni tormenta, tunc inquam primo loco electi vocandi ſint, *Venite benedicti,* Matth. 25. ut quilibet mercedem ſuam, quam juxta merita ſua habituri ſunt, recipiat : *Poſſidete paratum vobis regnum* Poſtea vero vocandi ſint reprobi ad recipiendum ſupplicia & pœnas juxta criminum commiſſorum gravitatem, ut a conſpectu Dei repellantur, condemnenturque ad æterni ignis ſupplicia : *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Vos equidem, ô Auditores, ſatis ſuperque noſtis quod DEUS non caſualiter operetur, quodque omnes ſuæ actiones maximis ſint myſteriis refertæ. Qualenam igitur in hoc facto latet myſterium, quod ſcilicet Judex prius bonos præmiet, poſtea vero reprobos caſtiget? Cum dies ille futurus ſit dies vindictæ & rigoris, vel juſtitiæ, præcipuè punitivæ, potius ſupplicia prius exſerere debebat in reos, & poſtea remunerationnem impertiri electis Pro hujuſce difficultatis intelligentia, neceſſum eſt intelligere quod Chriſtus Phariſæis proponit, & poſtea ſanctus Lucas refert de divite illo epulone, qui in profundo abyſſi conſtitutus, miſerè afflictus à Dæmonibus & ab igne concrematus, oculos in altum extulit, videnſque Lazarum inter amplexus Abrahæ in ejus paterno ſinu conſoveri, ipſemet quoque ſibi aliquam ab eodem Patriarcha pietatem aut beneficentiam impertiendam eſſe ſperavit, ideoque ſupplex eum rogavit, ut mendicum è ſinu ſuo tantiſper depoſitum ad fontem quendam mitteret, ut inde extremitate digiti ſui aliquam acciperet aquæ ſtillam, èamque pro ſui refrigerio linguæ ſuæ immitteret : *Pater Abraham mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aquam, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Qua in re hoc præcipuè conſidero, quidnam dives ille epulo accipere refrigerii potuerit ab unica aquæ guttula, cum integra flamma aut maria ad aliquam minimam illorum incendiorum ſcintillam extinguendam minimè ſuffeciſſent : Aqua modica igni inſperſa vel infuſa non ſolum non extinguit ignem, quin potius efficit ut flammæ magis augeſcant & invaleſcant, & hic unam tantum Aquæ ſtillam pro ſui refrigerio expoſcit? Fortè id feciſſe credendus eſt, quia exiſtimabat ſe modicum petendo impetraturum eſſe magnam aquarum copiam. Sanct. Petrus Chryſologus dicit eum duplici pœna cruciatum fuiſſe, nimirum una quæ ei infligebatur ab ardentiſſimis flammis, alia vero quam patiebatur à Lazari felicitatibus & cœleſtibus deliciis: Cumque hic ultimus cruciatus ei inſupportabilior eſſe videretur, ideo potius ab hoc quam ab illo ſe alleviatum nonnihil eſſe cupiebat : ſed qua

id

ſideratione fieri potuiſſet : *Mitte Lazarum*, quaſi diceret : Tolle tolle ô Pater Abraham Lazarum ab oculis meis, magnum ſiquidem cum videndo luſtinco cruciatum ; ſuaſque felicitates videndo mirè torqueor. Hæ flammæ quibus quaquaverſum cingor & ambior auræ ſunt quibus recreor reſpectu cruciatus illius quem ſentio dum coram oculis meis præſentem Lazarum inter conſolationes videre cogor. Id quod clarè ex verbis ſancti Petri Chryſologi colligitur, dicentis : *Plus te felicitas Lazari, quam gehenna torquet incendium.* Ex quo facto cauſa deducitur ob quam Divinus ille Judex prius daturus eſt in die judicii electis gloriam, quam reprobos proſcribat & deturbet in Infernum, ut præſentes ſint, & ab invidia miſerè torqueantur videndo beatificari juſtos, inde namque ſe plus dilaniari & dilacerari ſentient, quam ab Inferno, vel à Dæmonibus : ſenſibiliores in ipſis erunt anguſtiæ quas paſſuri ſunt ex aliorum felicitate, quam quas perſentiſcent ex proprio tormento, & ab æternis ſuis ſuppliciis, adeoque huc adaptari poſſet doctrina S. Cypriani dicentis : *Quantò ille qui invidetur ſucceſſu meliore profecerit, tantò invidus in majus incendium inardeſcit.* Infernus itaque invidorum non tantum eſt ille quod pœnas & tormenta ſuſtineant, verum potius quod beatorum coronas coram oculis ſuis repræſentatas conſpiciant.

1 Duo exercitus non minus quoad animum generoſi, quam ex militum ingenti numero præſidii in campis ſubſiſtebant, ſcilicet Philiſthæorum ex una, & Iſraelitarum ex altera parte, erantque utrimque milites veterani & artis bellandi periti. Iſraelitæ ſeſe communiebant in loco quodam valde ſecuro, qui dicebatur *Lapis adjutorii*, in quem non minus, quam in vires proprias ſuam habebant collocatam fiduciam, ſiquidem vel ſolum loci illius nomen illis felicis prælii exitum ominabatur : Philiſthæi autem ex alia parte cum ſuo exercitu caſtra metabantur in planitie Aphec ubi ſeſe communiebant vallis, foſſis, fortalitiis adeo validis ut exinde offendere quidem percommodè, offendi autem ab inimico minimè poſſent ; quilibet exercitus copias ſuas in optimè ordinatam collocabat aciem, ſeque ad congrediendum cum adverſario præparabat. Jam Capitanei in procinctu erant diſtribuendi turmas, à quarum nutibus ſinguli milites penderent ; fluctuabant vexilla rubicundo inter ſe nigroque colore diſtincta, per hoc ſignificando ſe ſanguinis ſitibundos, mortemque in acie gladii adverſariis illaturos eſſe, erectæ in galeis criſtæ ventilabantur, rauca reſonabant tympana, lituique turbarum, clangores perſtrepebant; Equi ad prælium animati ulterioris erant moræ impatientes. Non ſunt in cæli firmamento tot ſtellæ, quot ſoles effulgere videbantur è luciдiſſimis fulgentibuſque utriuſque exercitus armis. Nunc vocibus ſeſe mutuis provocabant ad prælium, nunc armis mutuas ſibi intentabant minas, tandem moventur, urgentur, cominus dimicare cum hoſte incipiunt, cædunt, vulnerant, luctantur, ringunt, donec tandem terræ pulvis ex armorum tumultu armiger factus, in aera ſeſe altum efferret, militumque oculos obfuſcaret, adeo ut cæco quodam impetu in ſe mutuo deſævirent; verum eheu ex improviſo integrum quoddam naufragantis ſanguinis mare promanare cernitur; nam prævalent Philiſthæi, jamque totus Iſraelitarum exercitus miſere fugari & diſſipari cœpit, dum alii vulnerati occumbunt, alii ſeſe captivos dedunt, alii ſe ſubducunt, alii ſecurius ſibi conſulere volentes in fugam ſeſe recipiunt, paſſique ſunt ſtragem magnam, jacturam nimirum triginta millium militum citra eos qui captivi abducti fuerant : *Et ceciderunt de Iſrael triginta millia peditum*, quodque maximè dolendum iis erat, ipſamet quoque Arca Dei viventis in manus quoque Philiſthæorum redacta fuit : *Et Arca Dei capta eſt.* Deus autem Philiſthæis iratus, eo quod manibus ſuis temerario auſu in arcam involare præſumpſiſſent, multa illis ſupplicia intulit, adeo ut major pars illorum morte extincta fuerit. Ac proinde Satrapæ inter ſe conſilia agitabant : *Quid agendum de Arca Dei*, ac tandem eam Iſraelitis minimè reddendam, ſed potius ex una Civitate in aliam tranſmittendam eſſe decreverunt, cum tamen unica cauſa eſſet, cur quolibet die aliquot hominum centena morerentur, *à parvo uſque ad majorem*. Porro hic nonnihil ſubſiſtamus. Cum ab arca Philiſthæis tot in ſingulis ad quas deferebatur civitatibus mala evenerint : cur eandem Iſraelitis non reſtituerunt? ſic etenim ceſſaſſent mala eorum, & finem contagium morſque habuiſſent ; Reſpondet Modernus quidam quod *ſi reſtitueretur, magnum Iſraelitis præſidium reddebatur*. Unde ex invidia ne ſcilicet Iſraelitæ poſt Arcæ reſtitutionem tanto bono potirentur, illam potius inter ſe retinere, & ſimul interea tantis malis tantæque

*Mendoz. ibid.*



ſtragi

ſtragi & gentis ſuæ internecioni ſubjacere decreverant. *Qui hoſtibus invidebant, eoſque tanto præſidio deſtitutos exoptabant, retinendam eſſe ſuadebant, & toleranda propria damna, ne immenſa lucra ex reditu arcæ hoſtibus provenirent, hæc enim eſt invidorum natura, ut malint propria mala pati, quam aliena bona intueri.*

9. DEUS Heli ſacerdoti ob nonnullos notabiles defectus adverſus Divinæ Majeſtatis ſuæ honorem commiſſos graviter indignatus erat, ac proinde manifeſtè ei indicabat, quod eum una cum tota ſua ſtirpe & progenie aſperè puniturus eſſet, cujus ei hoc aſſignabat evidens ſignum, nimirum quod duo filii ejus Ophni & Phinees. *In*
1. Reg. 2. *die uno morientur ambo.* Tu interea ô Heli qui præcipuus tranſgreſſores hoc habebis ſupplicium: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, ut non ſit ſenex in domo tua.* Verum & hoc parum eſt, ac proinde inſuper decretum mihi eſt, quod te Sacerdotii dignitate exuere velim, ne unquam amplius ſacra hac functione in templo perfungaris, ſed in munus iſtud alius ſubingredietur, tibi non admodum gratus, qui feliciſſimus & fortunatiſſimus erit inter omnes Sacerdotes, quos ſacrum Templum unquam habuit: *Videbis æmulum tuum in templo, in univerſis proſperis Iſrael.* In locum tuum talem tibi ſucceſſorem ſubſtituam, quem nunquam benevolo dignatus es oculo aſpicere, iſque miris cumulabitur gratiæ & ingentis proſperitatis muneribus. Nunquam vidit Hebræorum populus, nec unquam deinceps viſurus eſt ſacerdotem aliquem tot tantiſque excellentiis ſublimatum, unde certatim ad illum populi confluent, ut ſuas in ejus manus deponant oblationes. Fiet utique quod tibi prædixi, nec eſt quod tibi perſuadeas quod quoad hoc mutaturus ſim æterni decreti mei determinationem: *Incipiam & complebo.* Verum enimvero tametſi ob id quod Heli graviter delinquens, graviter quoque à Deo per privationem ſacerdotii, perque filiorum ſuorum mortem prouti meruerat punitus fuerit, nullus eſſe poſſit, qui vel verbo minimo contradicere poſſit, attamen quid opus erat quod Deus ei quoque de ſucceſſore ejuſque fœlicitate & excellentiis quibus à Deo ſupra quemvis alium adaugendus & ſublimandus erat, verba faceret? utique Deus invidiam in Sacerdote Heli prædominatam fuiſſe cognoſcebat, atque ideo ſciens quod majorem ei allaturus eſſet ex manifeſtata ei ſucceſſoris ſui felicitate afflictionem, quam per comminatum ei propriæ domus ſuæ malum, ideo dixit: *Videbis æmulum tuum in templo in univerſis proſperis Iſrael,* cum majori namque ſenſu percepturum ſciebat alienæ felicitatis, quam propriæ calamitatis nuntium. *Non tam timet invidus malum quod ab adverſa fortuna ſibi imminet, quam quod ab aliena felicitate ſibi impendet, invidia ſui pœna eſt, & ſe pænaliſſimo ſupplicio caſtigat aliena gloria;* inquit doctus ille Modernus. Unde ſi juxta opinionem Senecæ: *Nemo tam lætus eſt ſuo, quam triſtis alieno bono,* ſuppoſito ſuperius inſinuato ſcripturæ paſſu, dicere jure merito potero: *Nemo tam triſtis eſt ſuo malo, quam alterius bono.*

10. Samuel Propheta audiens peſſimum Saulis Regis gubernandi modum, utpote qui poſthabito divinæ voluntatis ipſi intimato imperio pro ſuo arbitrio gubernabat, Deique honorem vehementer lædebat, continere ſe non potuit, quin animi ſui amaritudinem, cordiſque anguſtias amaro planctu ſuo conteſtaretur, dum autem lachrymis immadeſceret, apparens illi Deus conſolatus eſt eum, pariter jubendo ut ſiſteret lachrymas, & priſtinam vultus ſui reſumeret ſerenitatem, neque ob inſolentes Regis diſſolutiones ulla ratione turbaretur, futurum enim ut ipſemet ſibi de alio Rege proſpiceret, ſiquidem indignum eſſet, ut aliis imperio præeſſet, qui Dei præcepta pedibus conculcat atque contemnit. Saul igitur regno ſuo exauctorabitur, in ejuſque locum, ait Deus, de alio idoneo ſubjecto ſubſtituendo ſollicitus fui, qui Iſraelis regimen adoriatur, qui etiam majori utique cum gloria diadema ſuum feret ejuſque curas obibit. Exurge igitur & vide, num in illo cornu tuo quod ad cingulum tuum pendulum habes, tantundem adhuc olei in ejus fundo reliquum habeas, quod alteri novo Regi inungendo ſufficere poſſit? Abi igitur quantocius, illudque adimple, poſtea vero revertere, ut ſtrenuum Divinæ voluntatis mecum te exhibeas executorem; Abi cito, quia hic te præſtolabor. Credebam ego Saulem ex humili conditione ad diadema regium ſublimatum muneri ſuo regio integre ſatisfacturum fuiſſe; jam vero reipſa cognoſco hominem quanto à me ad ſublimiora evectus fuit, tanto ingratiorem, inſolentiorem, magiſque ſuperbum fieri. Sublimatus enim confeſtim mecum incipit contendere, nec aliam actionum ſuarum regulam novit, quam propriæ voluntatis & libitus ſui decretum. In tales eventus communiter deſinunt eorum imperia, qui ab humilitate natalium ſuorum, & abſque ullo merito

ſuo

ſior ad coronas & diademata evehuntur, hi enim poſtquam ad dignitatum vertices ſunt evecti, licere ſibi exiſtimant, quæ libent, non vero quæ decent, & fieri debent. Ex quo igitur Saul perfidus & infidelis extitit, juſtum eſt ut temeritatis ſuæ pœnas luat. Samuel autem reverſus ad Dominum dixit: O Domine, de ſufficienti oleo mihi jam proſpexi; ecce illud, jube nunc ſi quid per me fieri velis. Audi O Samuel, inquit Deus, noſtine virum quendam, cui nomen eſt Iſai in Bethlehem commorantem, ſtatutum etenim mihi eſt unum filiorum ſuorum in Regem mihi eligere: *Providi in filiis ejus mihi Regem.* Cave ne decipiaris ab extrinſeca vultus vel aſpectus ſui ſpecie, vel ex ſtaturæ proceritate, ſiquidem bonitas non in extrinſeca membrorum ſpecie, ſed interiori animi qualitate ac diſpoſitione conſiſtit. Ne igitur fallaris, hoc ſolum ſecuritatis loco me tibi dixiſſe ſufficiat, è filiis Iſai eum quem ego tibi monſtravero, & non alium inungens oleo: *Unges quemcunq; monſtravero tibi.* Verum ô Domine (inquiebat Samuel) nomen inungendi ad meus inſinuato & edicito mihi: Nihil ultra requiritur (ait Deus) abi ciro, ſcies etenim, ubi ne[illegible] fuerit. Abit igitur Samuel, & tandem ad Iſai optimi ſenis domum accedens: Optima tibi nova nunciatum venio ô Iſai, eſto lætus quia favens tibi per omnia cœlum te domumque tuam divitiis & felicitatibus cumulare ſatagit, ſiquidem filiorum tuorum unus futurus eſt Monarcha Iſraelis, ita enim præcipit is cujus nutibus omnia obediunt Dominus eſt Deus noſter, inquit Iſai, faciat de me & domo mea quod bonum fuerit in oculis ejus. Huc igitur adeſtote filii mei, & debita Prophetæ & Sacerdoti noſtro deferatis obſequia, eumque pro ratione gradus & meriti veneramini. Moxque converſus ad Samuelem ait. Hic eſt primogenitus condictus Eliab: ille vero eſt eo inferior nomine Aminadab: Tertius vero Samma, elige ex his prout placuerit. Cui Samueli ut verum fateat, ad neminem horum Deus inclinat: Nunquid alii tibi filii ſuperſunt? *Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele.* Qui iis viſis ait: Profectò neque ex his ullum ſibi Deus in Regem elegit: *Non elegit Dominus ex iſtis.* Non ſuperſunt alii? ſupereſt quidem alius, inquit Iſai omnium natu minimus, qui ruri degens armentorum noſtrorum cuſtodiam habet, vereor autem ne ex quo nullus horum Deo placuerit, alter longe minus ſit placiturus. Videamus omnes, ait Samuel mittatur ſubito qui huc eum ad me accelerare jubeat: *Mitte & adduc eum.*

Reg. 16.

Comparuit igitur David paſtorculus, adoleſcentulus vegetus & robuſtus, deauratam in capite comam gerens, vultuque decorus, adeo ut aſpectu ſuo aliquam ſpirate Majeſtatem atque modeſtiam videretur. Moxque divina providentia ut hunc in Regem inungeret, manifeſtè ei inſpiravit, dicens: *Surge, unge eum, ipſe eſt enim.* Scio equidem Deum nihil caſualiter aut fortuito facere, atque ideo tametſi inveſtigare nolim cur Deus Davidem, non vero alium quempiam è filiis Iſai in Regem elegerit, curioſitas tamen me adigit, ut cauſam inquiram, cur Deus Samuelem in Bethlehem dimittens, eidem non pariter liberè ut Davidem in Regem inungeret, præceperit dicendo: *Unges Davidem,* ſed tantum dixerit: *Unges quemcunq; monſtravero tibi* Num fortè de futura Samuelis fidelitate dubitavit? *Cur dubiè & non ſpecialiter* (interrogat Chryſoſt.) *Davidem nominavit?* ac tandem difficultatem hunc in modum reſolvit: *Ne ſcilicet pateretur David, quod paſſus eſt Ioſeph. Sicut enim illi addiſcentes futurum ſibi Regem, inſidiati ſunt, & poſt multas injurias vendiderunt, invidia com moti, timentes ne forte frater eorum minor ab iis Regis inſtar adorandus eſſet.* Quod ſi Samuel Propheta mox ut in domum Iſai ingrederetur pariter Davidem Regem futurum inſinuaſſet, fratres ejus utique vitæ ipſius inſidiati fuiſſent. Verum dicat hic aliquis, quid præjudicii aut jacturæ paſſuri fuiſſent fratres Davidis ex hoc quod David frater eorum ad Regnum à Deo ſublimandus eſſet? Haud dubiè nihil illis mali inde accidiſſet, imò vero inde ipſis accreſcebat honor, excellentia, dignitas, divitiæ & ſimilia, ipſi in toto regno gubernaſſent pro libitu ſuo, ab omnibus ſumma in veneratione atque reſpectu habiti fuiſſent, quiſquis gratias apud Regem ſollicitaturus adveniſſet, ſuum ad illos habiturus fuiſſet confugium, utpotè ad Regiæ ſuæ Majeſtatis germanos ſecundùm carnem fratres. Verum enimvero nequaquam id permiſiſſent jam dicti Davidis fratres; neque enim eis dominans invidia idipſum permiſiſſet; Imo ipſimet invidentiæ ſtimulis agitati fratres dicturi fuiſſent: Nihili hoſce honores facimus, libenter iis renunciamus, dummodo ſors iſta Regni fratrem noſtrum non contingat, potius moleſtetur, infeſtetur, occidatur. O maledicta invidia! perdatur potius, maleque habeat invidus, dummodo invidiam ſuſtinenti nihil inde mali accidat.

Chryſ. in pſal. 50.

11. Myſtica utique fuit illa in Evangelio à Chriſto in medium adducta parabola, in qua

filius Dei Regnum Cœlorum cuidam Patriſamilias ſimile eſſe pronuntiavit, qui manè ſummo diluculo in forum exiens conducere voluit operarios, qui vineam ſuam labore ſuo excolerent: invenit igitur diverſos è quibus optimos ſeligens paciſci cum iis cœpit de mercede quam pro laboribus eorundem iis daturus eſſet, ac demum in vineam ſuam eos ſecum adduxit: *Conventione autem facta cum operariis de denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Appropinquante autem hora tertia domo ſua iterum egreſſus alios ſibi obvios habuit, ſtantes in foro otioſos, quos item ad vineam ſuam abire, deque debita ſua mercede poſt abſolutos labores accipienda ſecuros eſſe juſſit: *Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis*, qui & abierunt, poſt hos autem alios in eandem vineam hora ſexta, alios item hora nona dimiſit. Tandem vero cum inſtaret undecima, licet hora tardior eſſet, domo tamen egreſſus in multos incidit tempus ſuum inutili otio tranſigentes, quos aggreſſus eſt reprehendendo tanquam otioſos: *Quid hic ſtatis tota die otioſi, Ite & vos in vineam meam.* Inclinante vero die ad veſperam cuncti ligones ſuos è manibus depoſuere, atque à laboribus ceſſantes domum petivere Patrisfamilias, ut ab eo ſinguli ſingulas ſuas mercedes acciperent; omnes autem æquali fuere mercede remunerati eo demmet ſcilicet denario, adeo ut tantundem acceperint & non plus ii, qui ſummo diluculo ad ſerum uſque crepuſculum veſpertinum laborarant, quantum alii qui ab hora undecima vineam ingreſſi dimidiæ tantum diei laborem impenderant. Cumque primis injuriam ſibi fieri, hancque partialitatem omni prorſus æquitati repugnare videretur, quod ſcilicet eadem mercede donarentur ii qui parum, qua alii qui multum laboraverant, lamentantes dicebant: *Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus.* Porrò Author operis imperfecti benè obſervat modum quo hi agricolæ murmurarunt: ſiquidem non conqueruntur quod qui plus aliis laborarunt, minorem aliis mercedem acceperint, ſed quod illi qui exiguo tempore, id eſt, à nona & undecima uſque ad noctem laborarant, majorem acceperint mercedem quam illis ex ſtricto jure deberetur; ac proinde dicunt: *Pares illos nobis feciſti* cum potius dicere debuiſſent, *Pares nos illis feciſti.* Quid veſtra ô gens murmurationi aſſueta, intereſt, quod illi nimium acceperint, quando vobis id quod debebatur juſtè repenſum fuit. At vero invidia hæc ex ore illorum verba effutivit, illa namque effecit, ut non lamentarentur quaſi non recepiſſent mercedem laboribus ſuis debitam, ſed quod aliis data fuit merces major & excedens mentum brevitatis temporis quo laborarant: *Ergo non dolebant quaſi fraudati de mercede ſua, ſed quia illi amplius, quam merebantur, acceperant: Hoc enim eſt proprium invidiæ quando alteri aliquid additur, ſic dolent invidi quaſi illis ſit aliquid ſubtractum.* Sic Alexander Magnus, ut ſcribit Quintus Curtius, omnes victorias nulli præterquam ſibi ſuæque generoſitati adſcribi deſiderans, glorioſis Antipatri facinoribus invidebat, quicquid ab aliis generosè reportabatur boni aut felicitatis ſuæ jacturam atque damnum eſſe exiſtimans: *Is v… quidem hoſtes voluerat: Antipatrum vero vi… tacitus quidem indignabatur, ſuæ demptum gloriæ exiſtimans, quidquid ceſſiſſet alienæ.* Enimvero valde difficilia eſſe cenſeo verba illa quæ S. Antonius de Padua poſt ſe ſcripta reliquit; Nimirum quod ſi Deus vellet invido alicui infernum irrogare, qui majorem ei quam ipſiſſimus Infernus pœnalitatem adſciſceret, opus eſſet ut illum in medium cœleſtis Paradiſi in cæleſti gloria collocaret: *Magnam pœnàm Deus faceret invido, ſi ipſum poneret in gloria Paradiſi.* Nunquam etenim audivi quod ipſa quoque cæleſtis gloria vim in ſe torquendi habeat; quod ſi enim gloria eſſentialiter conſolatio quædam eſt, quomodo illi convenire poterit ejus contrarium, quod ſcilicet affligat eos qui inibi ſunt præſentes? *Tale ubicunque ponatur, ſemper erit tale*; Quomodo igitur Paradiſus talibus in Infernum commutatur, gloria in flammas, beatitudo in ignem? Imò vero hoc facilè eſt intelligere, nam ſi invidus felices & gaudio plenos videret alios beatos, id ei majoris pœnæ cauſa futurum eſſet, quam ſi in ipſiſſimo inferno conſiſteret: *Quia ibi totaliter excæcaretur à gloria proximorum & à luce beatitudinis ipſorum.* Cum certiſſimum ſit, quod, ut Seneca obſervavit: *Humanus oculus caligat in aliena luce.*

12. Hoc etenim verum eſſe colligere facili negotio poteſtis, ô Auditores, ex eo quod Sanctus Joannes Evangeliſta de Chriſti præcurſore refert: Inter alias namque hujus vivi ſanctitatis miraculi prærogativas, quas nobis recenſet, una eſt, quod in hunc mundum eo præcipuè fine ſit naſciturus, ut atteſtetur quod verus Meſſias Dei Filius inſtar lucis radios ſanctitatis ſuæ per univerſum mundum ſit diffuſurus:

Matt. 20.

Hic

*Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Ergone Joannes Baptiſta teſtis erit? Cujus rei? Lucis. Lucis? Verum quid ſoli ad hoc ut credatur eſſe luminoſus, opus eſt, ut ſtella quædam eo fine reſplendeat. Quid neceſſum eſt diei quod is claritatem ſuam à lucernæ cujuſdam lumine mendicet, tali namque nomine Joannes appellatur: *Lucerna lucens ante Dominum.* Unde ſanctus Auguſtinus ait: *Nunquid opus erat, ut Ioannes tanquam lucerna perhiberet teſtimonium diei, ſi dies ipſa ab infirmitate noſtra poſſet videri!* *Lumen* quod eſt medium proportionatum ad videndum objecta, *non indiget alio lumine, ad hoc ut videatur*, inquit Cardinalis Toletus. Atque hinc fit quod Lumen gloriæ, ut docent ſacri Theologi, tametſi ſit ordinis ſupernaturalis, nullum tamen aliud lumen requirat, quod intellectum noſtrum ad illud videndum diſponat, quia illud vel futurum eſſet ſuperfluum; aut inſufficiens; ad quid igitur ſerviet, ſi accendatur Lucerna, ut veræ luci lumen præbeat: *Erat lux vera!* Superfluum eſt quod id quod oculis noſtris apertè videtur, inſuper per teſtimonia comprobetur: *Quod patet expreſſè, non eſt probare neceſſe.* Enimvero paſſus hic aliam quandam difficultatem provocat, quam ſanctus Lucas in Actibus Apoſtolorum tangit. Refert enim quod dum Chriſtus in monte quodam qui ab Olivis nomen habet, conſtitutus, jamque ad æternum Parentem reverſurus, abitum ſuum à diſcipulis pararet, Spiritum eis ſanctum ſubmittere promiſit, voluitque, ut in virtute donorum ſuorum per omnes Judææ fines diſcurrerent, in publica Hieroſolymitani fori compita ingrederentur, demum vero in Samariam ſeſe conferrent, ac tandem omnibus in univerſum populis ac gentibus plenum perhiberent glorioſæ Reſurrectionis ſuæ teſtimonium: *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Hugo, inquirit, cujus rei Filius Dei Apoſtolos eſſe voluerit teſtes, & dicit quod Reſurrectionis ſuæ teſtes eſſe debebant. *Eritis mihi teſtes Reſurrectionis verbo, exemplo, & ſignis.* Ergone ad reddendam credibilem & perſuadendam glorioſam Reſurrectionem ſuam à militibus revelatam, manifeſtatam à mulieribus, ab Apoſtolis prædicatam tot requiruntur induſtriæ & diligentiæ? Pro hujuſce difficultatis intelligentia, circumſtantia quædam notanda eſt à Chriſto in eo miraculo obſervata, quod juxta mare Tiberiadis patravit, quando quinque panibus & duobus piſcibus abundantem alimoniam quinque hominum millibus providit, atque inſuper duodecim cophinos reliquiarum plenos ſupereſſe voluit: *Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.* Ioan. 6. Enimvero valde mirandum eſt quod Chriſtus qui tantus ſemper extitit ſuperfluitatis inimicus, nunc faciat ut tantus panis totque piſcium partes omnibus abundè ſaturatis ſuperſint. Verumtamen ad id reſpondebit Chryſoſtomus dicens: *Duodecim cophinos ſecundùm numerum duodecim Apoſtolorum.* Chryſ. in cat. D.Th. Vel cum eodem ſancto Doctore dici poteſt: *Quod hæc oſtentatio ſuperflua non fuit, ſed ne phantaſiam æſtimarent, quod factum eſt.* Sanctus Cyrillus l. 3. cap. 18. dicit, quod: *Qui largitur, ſemper abundat.* Econtra vero: *Avaro & nihil danti ſemper deeſt.* Sanctus tamen Baſilius Seleucus oratione trigeſima tertia in ea eſt opinione, quod Chriſtus hoſce panes multiplicarit *præter neceſſitatem, ſed in potentiæ defenſionem.* Facile enim malevoli & invidi Divinam potentiam calumniando offendere potuiſſent dicendo, vel non fuiſſe verum miraculum, vel quod non fuerit miraculum reale, ſed apparens, per quam calumniam miraculum iſtud ſuppreſſum totaliter fuiſſet: Quid igitur facto opus erit? ſuperſunto duodecim cophini, ut vel ſic quilibet cophinus imo quilibet panis, & quilibet piſcis licet mutus ſit & mortuus, in defenſionem potentiæ Chriſti, in confirmationem veritatis miraculi, & ex eo redundantis gloriæ deſerviat: *Sic innata hominis invidia inſidiatur potentiæ, ut in potentiæ defenſionem Dominus panes multiplicet præter neceſſitatem.* Prævidebat etenim Dominus, quod Hebraiſmus, utpotè gloriæ ſuæ invidus æmulus omnem eſſet moturus lapidem, ut Reſurrectionis veritatem occultarè poſſet; atque ideo voluit, ut Apoſtoli abirent veraceſque eſſent ejuſdem myſterii teſtes: *Eritis mihi teſtes Reſurrectionis, verbo, exemplo, vel ſignis.* Ipſa filii Dei ſanctitas meridiana ſolis luce incomparabiliter clarior erat, & tamen ne eam invidi ulla ratione negare poſſent, opus erat ut ſanctus Joannes ſuam quoque operam interponeret, faciendo fidem lucem ſerenam eſſe, ipſumque ſolem ſplendeſcere. Unde ſe Rupertus continere non potuit quin exclamaret, dicens: Rupert. in c. 1. Io. *O invidia cæca, videns & oculatiſſime cæca: Nihil perſpicuum videt Invidia, cæcutit ad præclara, ad magna, & generoſa.*

13. Turbæ militum ad Salvatorem capiendum

dum hortum ingrediuntur Gethſemani; ad eum vero accedentes violentas in eum conjecere manus, ſummis quibus poterant eum injuriis & contumeliis afficiendo. Porrò ſanctus Petrus intra patientiæ terminos ſe continere non valens, memor ejus quod à Magiſtro ſuo juſſus eſſet emere ſibi gladium, ſuſpicari cœpit, hanc horam & tempus opportunum eſſe, in quo eodem gladio uti liceret, ideoque gladium ſtrinxit, eoque inſolentiſſimi cujuſdam amputavit auriculam: *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum & percuſſit Pontificis ſervum, & abſcidit auriculam ejus dexteram.* Dominus autem reprehendens eum dixit: ſe tam cruenta defenſione minimè opus habere, utpotè qui, ſi ſui defenſores ab æterno Patre expeteret, facilè Paradiſi Angelos in ſui defenſionem habere poſſet, ut proinde gladium denuo in vaginam reconderet, nec amplius ejuſmodi facinus committere præſumeret: Circumſtantibus vero demum præcepit, ut auriculam amputatam in terram collapſam, levarent, quam ille acceptam priſtino loco & perfectæ ſanitati denuo reſtituit: *Et cum tetigiſſet auriculam ejus ſanavit eum.* Porrò quod milites nullam ſumpſerint de Petri ferocia & temeritate vindictam, mirum non eſt, quia Magiſtri ipſorum verebantur potentiam, utpotè qui paulo ante unico duntaxat verbo cunctos in terram proſtraverat; veruntamen valde admiror, quod Petrum deinceps de tam notabili commiſſo delicto non accuſaverint: Cum enim ſollicitè quæſiverint ſubordinare teſtes, qui falſa adverſus Chriſtum ejuſque diſcipulos ederent teſtimonia, cur non potius hoc Petri factum coram tribunali Pilati accuſarunt? Hæc etenim opportuniſſima eſſe videbatur occaſio ad malignandum Magiſtro, & irroganda diſcipulis pericula, & tamen nec quicquam hac de re loquuntur, ſed injuriam hanc abſque ulla vindicta diſſimulant. Enimvero dum incarnata Sapientia Jeroſolymam ingrederetur, certas quaſdam porticus balneum quoddam, quod alio nomine Piſcina Bethſaida appellabatur, circumſtantes propè tranſivit, in quibus ingens quædam infirmorum hærebat multitudo, è quibus unus triginta & octo annos continuos cum infirmitate ſua conflictatus fuerat abſque ulla ejuſdem remiſſione aut convaleſcentia; Hunc igitur Medicus cœleſtis convenit, & non obſtante quod Sabbathi dies eſſet, ſanitatem ei integram reſtituit, præcipiens eidem ut ſeſe erigeret & apprehenſo ac ſublato lecto ſanus & ſalvus in domum ſuam abeat: *Surge tolle lectum tuum & ambula.* Totam hujus facti ſeriem Hebræi partim viſu, partim auditu perceperant, ac proinde de hujuſce languidi ſanitate reddita obſtupefacti, magna cum curioſitate interrogarunt quiſnam eſſet ille qui ei lectum ſuum tollere, & in domum ſuam abire juſſiſſet: *Quis eſt ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum & ambula?* Quis hic mecum non quærat ex Hebræis illis, cur quidem hominem illum à ſua infirmitate liberum ſine impedimento ambulantem vident, eadem non potius dicunt: *Quis eſt, qui te ſanum fecit?* Etenim Cardinalis Toletus ibid. adnot. 8 in comm. dicit: *Sciebant ſanitatem eum mirabiliter recepiſſe, non enim negare poterant, omnibus namque cognitus erat propter tanti temporis longitudinem infirmus ille, qui repente ſanus apparebat.* Enimvero hi Chriſto ſuam gloriam invidentes de patrato miraculo loqui nolebant, ſed illud potius ſub perpetuo ſilentio & oblivione ſepultum eſſe cupiebant: *Præ invidia non interrogabant, quis eſt ille qui te ſanum fecit, ſed quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum?* Invidia namque exſtimulati nihil aliud moliebantur, quàm ſilentio miraculum iſtud involvere, ne divulgaretur, fieretque ſignum demonſtrativum virtutis & ſanctitatis ipſius Salvatoris & veluti invidi. *Calumniam quærebant non Dei honorem & gloriam: ſi enim hoc eos moviſſet, utique quis eſſet qui ſanavit, interrogaſſent, ut divinam virtutem & potentiam in eo recognoſcerent.* Sic quoque non movebantur ab injuria à Petro in horto Gethſemani recepta ad ullam de eo capiendam vindictam, quia ſi hac de re aliquam apud Pilati tribunal depoſuiſſent querelam, utique præmittenda fuiſſet ferendæ ſententiæ aliqua informatio, hacque ratione cum in auricula Malchi dextra nec vulnus, nec cicatrix, nec ſanguis videri aut notari poſſet, conſpecti fuiſſent ad manifeſtandum patratum à Salvatore miraculum: quod quia tanquam invidi manifeſtari nolebant, receptam injuriam diſſimulare ſatius eſſe duxerunt, ut hac ratione actionem ab eo glorioſam ac celebrem ab eo patratam ſilentii pallio obtegerent. Verum accidit illis quod eruditus ille quondam dixit: *Profectò aliena quies invidum inquietat, aliena ſecuritas illum ſollicitudinibus angit, & aliorum honor contumeliis objicit, imò quin ingens alterius boni pompa invido eſt ingens ſupplicium.* Hos igitur effectus miraculoſi operis, id eſt, reſtitutæ Malcho auriculæ manifeſtatio in invidis hiſce quoque infallibiliter cauſaſſet.

Ioan. 18.

14. Dicunt Aſtrologi invidum ſub aſcendenti ſigno Saturni naſci, qui ſicut præ cæteris planetis malignior eſt, ita quoque invidus præ cunctis aliis iniquis hominibus deterrimus eſt, ſiquidem ſi ad famam tuam pro libitu ſuo mortificandam, vel obſcurandam gloriam tuam præ valere non poteſt, tandem ad eripiendam tibi vitam molitur inſidias. Poſt Joſephi Vice Regis Ægypti mortem novus quidam Princeps in illa provincia ſucceſſit, qui filios Iſrael multiplicari animadvertens, univerſam Ægyptum adverſus eos in ſeditionem excitavit. *Venite opprimamus eum.* Verùm quemnam miſer hic populus errorem commiſerat, aut quodnam intulerat novo huic Regi faſtidium? num fortè ſeditioſus aut rebellis ei extitit? aut infidelitatem ſuam erga eum in re aliqua notabili prodidit? aut aliquod regio ſuo diademati præjudicium intulit? Nihil omninò populus hic deliquerat, ſed potius Rex eum videbat, eo quod copioſus & fortis fieri inciperet: *Ecce populus filiorum Iſrael multus eſt, & fortior nobis, venite opprimamus eum.* Sacer enim textus aliam præter hanc cauſam non reddit: *Ecce quid faciat invidia*, ait gravis ſcriptor quidam. Dic mihi ſodes ô mercator, cur illum qui tuæmet conſors eſt profeſſionis adeò DUE perſequeris. Quidnam tibi mali intulit? Nihil omninò, ſolum ideò eum perſequitur, quia *multus & fortior eo eſt.* O Doctor, ô Advocate, cur aulicus ille adeò tibi exoſus eſt, ut illum videndo ſuſtinere non valeas? Num fortè ... tuum aliqua in re læſit? aut famam tuam uſpiam contaminavit? quodnam unquam ab eo paſſus es præjudicium? Si verum fateri velit dicere cogitur: Mea me ad id exſtimulat invidia, quia *multus & fortior eſt*; in exercitio profeſſionis meæ majori pollet experientia & dexteritate, ac proinde omnes clientes ad illum confluunt. Quamobrem opprimamus eum. Quodnam Hebræi à Chriſto gravamen unquam paſſi fuerunt, quod dicerent: *Venite & eradamus eum de terra viventiũ.* Legite obſecro Cruci ſuperimminentem inſcriptionem ſive Titulũ J. N. R. J. id eſt, *Invidia Noſtrum Regem Interfecit*; atque ideò de Pilato dicitur: *Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent illum.* O monſtrum maledictum! *Ecce quid faciat invidia.* Cum igitur hæc è diametro oppoſita ſit charitati ſi vos ab hoc vitio immunes eſſe probare volueritis, charitatem erga pauperes exercete, per eleemoſyam aliquam eiſdem ſubveniendo.

## PARS SECUNDA.

15. A Lepido quodam ingenio dictum hoc emanavit, quod videlicet invidia naſcatur in Religioſorum Conventibus, nutriatur in aulis, & in Xenodochiis emoriatur. Hoc in ſe bonum invidia habet, quod verum ſit & rigidum invidi ſupplicium; ejus malitioſitates minæ ſunt, quæ tandem in ipſummet derivantur, quas aliis fabricat machinas, ipſummet tandem opprimunt & perdunt. Invidia proinde idẽ eſt invidis, quod Aquila Prometheo, quod vultur Tityo, ac denique quod Diomedi equus ſuus erat. Unde Proſper optimè dixit: [Invidia juſtius nihil eſt, quæ protinus ipſum authorem perimit excruciatque ſuum.) Idem quoque S. Cyprianus confirmat dicens: (In malum proprium bona aliena covertit invidus, illius proſperitate torquetur, aliorum gloriam facit ſuam pœnam.) Idem quoque aſſerit Chryſol. dum ait: (ſuos ſemper invidia conſumit, invidia ſuorum carnifex ſemper exiſtit, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit, & quid plura? hanc qui receperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia, quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere errorem] Et S. Joannes Chryſoſtomus hanc poſt ſe ſcriptam reliquit ſententiam: [Ubi invidus captus ab hoc morbo, contra ſuã ipſius ſalutem facit omnia.) Unde invidus ſapienter admodum à nonnemine papilioni comparatur, qui lucem non, ut alius quiſpiam ait, diligens, ſed potius ſplendeſcentis luminis ſui pulchritudini invidens eandem etiam cum impendio vitæ ſuæ extinguere nititur; verũ nil inde aliud lucratur quàm quod vel alas ſuas comburendo libertatem ſuam amittat, vel tandẽ extinctus concidat. *Invidus papiloni ſimilis eſt, dum lucem conatur extinguere ſibi alas comburit.* S. Baſilius homil. 39. de invidia illam ſagittæ non abſimilem eſſe dicit, quæ ab arcu in durum quendam lapidem, vel aliam quamvis prævalidã duritiẽ evibrata retrovertitur; & ipſiummet petit jaculatorem; quem proinde ad eum alludere velle exiſtimo, qui cum ſole inimicitias fovens ad eum transfigendum ſagittas ejacularat, ſed fruſtra, imò cum gravi ſuo damno, ſiquidem ſagittæ poſt evaneſcentem ſibi vim impreſſam retrorſum converſæ deorſum cadentes cuſpide ejaculantis colliſere caput: *Invidiæ motus ipſius invida plaga fiunt.* Ad eum ferè modum, quo vipera ex utero materno egrediens, venenoſis dentibus ſuis ejuſdem viſcera dilaniando occidit genitricem. Invidia enim cor invidi devorat, inteſtina convellit & contorquet ac tandem malevolum ejus & invidum pectus diſrumpit: *Quemadmodum*

*Proſp. l. 3. de vitiis & virt.*

*Th. de Truſ. ſe. 2. poſt 3. Do. Quadr.*

*admodum viperas tradunt exeſo materno utero generari , ita & invidia animam ipſam parientem conſumere ſolet.*

16. Daniel Propheta apud Darium, veluti ſi edicta regia quæ à cunctis aliis tàm exactè obſervabatur, tranſgreſſus fuiſſet graviter delatus fuit: *Dan. 6.* *Daniel de filiis captivitatis Iuda nō curavit de lege tua & de edicto tuo, quod conſtituiſti.* Quo audito Rex conturbatus, ad peſſimorū illorū virorū requiſitionem coactus fuit, ut innocuum Danielem à ferociſſimis leonibus devorandū condemnaret, *& miſerunt eum in lacum leonum* præcipiendo ut oſtiū ſpeluncæ proprio ſuo ſigillaretur ſigillo regio, *Hec. Pin. in c. 5. Dan.* *ne quid fieret contra Danielē*, quaſi majora ipſi imminerent pericula ab invidis qui foris erant quam à famelicis feris intra ſpeluncam latitantibus: *De leonibus ferè ſecurus Rex homines pertimeſcebat, eos crudeliores ipſis leonibus ducebat, & immaniores omni ferarum genere putabat.* O maledicti invidi, ipſis feris ferociores, crudelioreſq; ipſiſſima crudelitate! Imò Lyranus ib. ſubjungit, quod *magis timebat Rex crudelitatē hominū* [loquitur de invidis] *quàm de ferocitate leonū.* Veruntamen pœna quam Danieli præparaverant, in ipſos conversa eſt, ſiquidē Daniele liberato, *Ipſi in lacū leonum miſſi ſunt.* Hoc lucrum Satrapæ regni ex hoc ſua invidia reportarunt. *Pint. ut ſupra.* *Eodem modo magnates Medorum & Perſarum invidia concitati non poterant intueri Danielem, eamq; ob cauſam ei inſidias pararunt, & ad indigniſſimā cædē vocaverunt, ſed pœnas luerunt ſcelerū ſuorum,* ut ſcribit Academicus Conimbricēſis. Verumenim verò ut quid diu in ſpeluncis ſubterraneis inter leones hæremus? in cœlum conſcendentes ad ipſos uſq; Angelos penetremus; Ibi namq; reperiemus creaturam quādam pulcherrimam & excellentiſſimam ex omnibus quas unquā divina omnipotentis dextera creavit, Luciferū ſcilicet, adeò omnibus ſpiritibus præeminentē, ſicut ſol ſtellas præcellit, ob inordinatū quendā propriæ voluntatis actum, à conſpectu Dei proſcriptum in exiliū exturbatū, atq; ab aliis ſpiritibus ſegregatū, gratiaq; privatum eſſe, ſuppliciorū fulmina in eum evibrata fuiſſe, flammiſque undiq; cinctū, ex paradiſi pretioſo carbūculo teterrimū inferni carbonē factum eſſe; ut jā non ſit amplius lucifer ſcintillans & ſpecioſus, ſed draco horrendus & monſtroſus; non jam amicus virtutis, ſed vitiis confœderatus, factoq; ab omni bono divortio, cum malo fraternitatem iniiſſe, adeoq; qui velut civis & incola cœli empyrei, cœli perittromatibus ſtellis pulcherrimè velut unionibus diſtinctis inambulabat, factus eſt viliſſimum horridarū tenebrarū inferni mancipiū; Quid de ejus infelicitate amplius & atrocius dici poteſt? poteſtne reperiri aut legi lapſus hoc caſu magis præceps aut irremediabilior? verum amabo te dic mihi, quodnā fuit peccatū illud, quod tantarum calamitatū faber extitit? Num fortè ſuperbia, ut docet S. Th. 2. ſent diſp. 5. q. 2. art. 3. *ut patet tum ex deſiderato, quia eminentiam dignitatis appetiit, tum etiā ex motivo, quia ex conſideratione propria pulchritudinis in peccatū ruit?* Aut quia voluit Deo eſſe ſimilis, hancq; ſimilitudinē non divinæ gratiæ, ſed ſuæ propriæ nobilitati & naturæ attribuere in acceptis referre volebat? *Eam conſequi voluit virtute ſua natura ſine Deo gratiā conferente* Unde ex ambitione & arrogantia peccaſſe viſus fuit. Vel dicemus cum aliis Theologis, eum peccaſſe ex cupiditate proprii ſui commodi & intereſſe, quia (Appetiit bonū, potius in quātū eſt bonū ſibi, quā amando illud in ſe?) ideòq; (volebat uti fruendis, & frui utendis, & hæc eſt ſumma perverſitas voluntatis.) Scotus peccatū ejus in luxuria quadam ſpirituale conſiſtere opinatur, in quantū immoderatā quandā connotat concupiſcentiā, (procedens ex affectione commodi & non juſtitiæ verſus objectum aliquod delectabile, movens appetitū in quantumvis delectabile.) SS. Patres Baſilius & Gregorius Papa &, alii. Invidiæ Luciferi culpā attribuunt, qua erga humanā felicitatem & excellentiā exſtimulabatur. Hæc enim fuit Aquilo ille, è cujus flatu ſoluti & laxati ſunt venti, per quos præceps actus eſt è cœlo empyreo uſque in ipſam inferni abyſſum: Magna quædam Circe fuit, quæ mirabili metamorphoſi eū ex Angelo in horridū dæmonē transformavit: *Proprius diaboli affectus eſt invidia, nō enim ſtatim diabolus creatus eſt diabolus* (inquit Baſilius) *ſed Angeli poteſtate accepta, converſus eſt in dæmonis naturā, & factus eſt parvus dæmō, hac pravitate velut charactere notatus, & à conſortio ad Deū abalienatus.* Aut ſi authoritatē aliquā Pontificiam deſideratis, ecce vobis S. Greg. *Ipſe malignus ſpiritus adverſarius noſter cælū perdidit, condito ad hoc homini invidit, & damnationem ſuam perditus adhuc alios perdendo cumulavit.* Ecce utilitatem quam ex hac maledicta invidia ſibi adſcivit, univerſorum namq; bonorū capitale ſibi à gratia velut benigna genitrice impertitum turpiter & damnosè nimis amiſit.

17. In memoriā obſecro revocate auditores id quod David de certo quodā peccatorū genere loquens, ejuſque proprietates pariter indicans hiſce verbis edixit: *Peccator videbit & iraſcetur.* Pſ. 111. Porrò per hunc peccatorē invidū intelligi notum eſt apud ſacros expoſitores, & ab Hugone, S. Athanaſ. S. Joan. Chryſoſt. clarè ſatis deducitur, &c. Hic namq; alienā felicitatē conſpiciens, velut vipera quædā torquetur, ſicut rabidus canis dentes exacuit, & tanquā horrida Tigris immaniter ſemetipſā dilacerat & devorat: *Dentibus ſuis fremet & tabeſcet.* Cum Tigris harmonicā plectri ſymmetriā audiendi impatiens ſonū quem fides bene compoſitæ teſtitudinis docta experti citharœdi ingenioſaq; manu concitatæ edunt, audit, videtur ſonus hic harmonicus, haud ſecus ac ſi eſſet rauci cujuſdam tympani ſtrepitus, in ejus pectore flam-

mas

mas quaſdã accendere furoris, quo in ſemetipſam obarmata diverſas quaſi è membris turmas conſtituit, ac tum demum fulmina ab oculis emittit, pilos ſibi evellit, voce rugit, fremit dentibus, frontem contorquet, uncis minatur unguibus ſuis, ac tandem nullam aliam invenire belluam valens in quam furiam, rabiem, & arma ſua exſerere poſſit, in ſemetipſam totam ſuam crudelitatem convertit, dentibuſq; ſuis, quos in lapide rabiei & furoris ſui in alios exacuerat, ſibimetipſi exitium infert, propriam ſibi declarando pellem, ſuaſq; demum carnes horrendum in modum immaniter devorãdo. Unde Plutarchus: *Tigrides ſi quis tympanis circumſonat, in rabiem agi dicuntur, adeò ut ſeipſas deniq; diſcrepant.* O infelix animal! verum enimverò quid non huic ſimile invidus facit? nunquid ſtructas aliis inſidias, ſibimetipſi machinatas fuiſſe tandem experitur? ac proinde *peccator videbit*, ſed *ad ſuam pœnam*; *& iraſcetur*, ſed *contra ſeipſum*, explicat Athanaſius: *Dentibus ſuis fremet*; ſed cui nocebit? nulli præterquã ſibimetipſi, ſed *non nocet niſi ſibi*, aſſerit Hugo; ac tandem: *Tabeſcet in ſe, non potens aliis nocere*, inquit idemmet Hugo; Et quia omnia illius deſideria armata ſunt ad inferenda damna, & charitatẽ extinguendam: *Deſiderium peccatorum peribit*, id eſt, *non poterunt implere quod deſiderant, & inde cruciabuntur in ſeipſis.* Proficiat igitur vobis, ó invidi, lucrum veſtrum, nolo illud invidere vobis, vos ipſi veſtra fruamini invidia: *Impii verò & invidi homines juſtorum exaltationem videntes, ira & invidia cruciabuntur ſuper felicitate aliena, adeò ut dentibus præ iracundia frendeant, atque in ſeſe propter invidiam velut conſumantur, liqueſiant, areſcant, atque tabeſiant.* Sunt verba Titelmanni in Pſ. 111. n. 9. Dixerunt porrò nõnulli invidiam jam ætate confectam edentulam eſſe, quod ſi ita eſt, & tamen adeò immaniter ſæviat, cogitare facile poteſt, quid factura eſſet ſi dentibus eſſet acutis prædita. Quapropter ultimo loco ſalutare illud Gregorii monitum diligenter vobis commendatum habete, quod hiſce verbis ſuggerit: *Admonendi ſunt invidi, ut cognoſcant quantis lapſibus ſuccreſcentis ruinæ ſubjaceant, quia dum livorem à corde non projiciunt, ad apertas operum nequitias devolvuntur.* Nec eſt quod quis mihi hic replicet, nullos inter vos invidos eſſe, ſiquidem os vobis obſtruere per illam Salviani ſententiam potero, dicentis: *Quis eſt, cujus non ſenſum livor invaſit?* Profectò, ſi omnes invidi monoculi eſſent, omnes Cyclopes futuri eſſemus; aut ſi invidia febris quædam eſſet, univerſum mundum graviter febricitantem dicere auderem:

*Plutarch. de moral.*

*Greg. 3. p. cura paſt. adm. 11.*

*Salv. lib. 5.*

# SERMO XXVII.

## IN FERIAM QUINTAM. DOMINICÆ QVARTÆ QUADRAGESIMÆ.

*Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* Luc. cap. 7.

1\. NUlla excogitari poteſt actio chriſtiano homini convenientior, utilior & dignior illo, quam bene mori: *Summum hominis bonum, bonus ex hac vita exitus*, ita dicere ſolebat Fridericus Pulcher? vel *Morte beata nihil beatius.* Sanctus quoque Joannes dicit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14. Hic etenim moriendi modus: mori quoddã abſq; eo quod quis mortis pertranſeat amaritudines, & ut ſcribit S. Bernardus: Bona mors vitã non adimit, ſed ad vitã glorioſã & immortalẽ nos introducit: *Quæ vitã non aufert ſed transfert in melius.* Quis autem eſt qui neſciat bene mori à vitæ integritate dependere? Impoſſibile etenim eſt, ut quis moriens magnam tritici meſſem colligat, ſi vivens tribulos, ſpinas & zizania tantùm ſeminavit, cum veritas ſit frequenti experientia comprobata, quod qui beſtialiter vivit, chriſtianè mori non poſſit: *Qualis vita mors eſt ita.* Et S. P. noſter Auguſt. ait: *Vix bene moritur is, qui male vixerit.* Econtra verò ſanctè vivere beatæ cujuſdam ſecuturæ mortis pignus eſt & argumentũ: *Neq; enim mors mala putanda eſt* (inquit idẽ ille magnus Eccleſiæ Doct.) *quã bona vita præceſſerit.* Et ſi Wolfiano fidẽ habemus:

*Fridericus Pulcher ap. Reuſn. 3 p. Symb. 30.*

*Auguſt. de doctrina Chriſti*

*Ibidem*

*Una eſt vivendi ac moriendi regula recto:*
*Ut moriare pius, vivere diſce piè.*

*VVolfin. ap. Reuſn. 3. p. Symb. 30.*

Qua enim ratione quis ſibimetipſi pro-